Stulta est mi Lucili et minime conveniens litterato viro occupatio exercendi lacertos et dilatandi cervicem. Multa sequuntur incommoda huic deditos cure. Primum exercitationes quarum labor spiritum exhaurit et inhabilem intencioni reddit. deinde copia ciborum subtilitas impeditur. Bibere et sudare vita cardiaci est. Est tamen quod facies cito redi a corpore ad animum. illum diebus ac noctibus exerce labore modico alitur ille. hanc exercitationem non frigus non estus impediet non senectus quidem. Neque ego te iubeo semper imminere libro. Dandum est aliquod intervallum animo ita tamen ut non resolvatur sed remittatur. Discedat istud insidiosa bona et speratibus meliora que adcreuerint. Lucili scias neminem posse beate vivere nec tolerabiliter sine sapientie studio. plus operis est in hoc ut proposita custodias quam ut honesta proponas. perseverandum est et assiduo studio robur addendum donec bona mens sit quod bona voluntas est. Non est quod facile tibi et cito [illegible]dat. Non est philosophia populare artificium. non in verbis est sed in rebus. animum format et fabricat. vitam disponit. actiones regit. agenda et omittenda demonstrat. Sine hac nemo securus est. innumerabilia accidunt singulis horis que consilium exigant. quod ab hac petendum est.

Si ad naturam vives numquam eris pauper. Si ad opiniones numquam eris dives. Exiguum natura desiderat. opinio immensum. Congeratur in te quicquid multi locupletes possederant. Ultra privatum pecunie modum fortuna te provehat. Auro tegat. purpura vestiat. et tantum marmoribus abscondat. Non tantum habere tibi liceat sed calcare divicias. Accedant statue et quicquid ars ulla luxurie elaboravit. Maiora cupere ab his disces. Naturalia desideria finita sunt. ex falsa autem opinione nascencia ubi desinant non habent. proice ista omnia si sapis immo ut sapias et ad bonam mentem magno cursu ac totis viribus tende. Queris quomodo vis consequi ne tibi paupertas timida sit. Quod si apprehendenda est multis ad philosophandum obstitere divicie. paupertas expedita est. secura est. Facile est pascere paucos ventres et bene institutos et nichil aliud desiderantes quam impleri. parvo fames constat. magno fastidium. paupertas contenta est desideriis instantibus satisfacere. Quid est ergo quare hanc contubernalem recuses cuius mores sanus dives imitatur. Si vis vacare animo aut pauper sis oportet aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura. Frugalitas autem paupertas est voluntaria. tolle itaque istas excusaciones. nondum habeo quantum sat est. parare interim volo unde vivam. Simul et parare disce. Si quid te vetat bene vivere, bene mori non vetat. Non est quod nos paupertas a philosophia revocet. non egestas quidem. Dubitant aliquis ferre paupertatem ut animum furoribus liberaret. licet ad philosophiam eciam sine viatico pervenire. ita est cum omnia habueris, tunc et sapienciam habere voles. hoc erit vite ultimum instrumentum et ut ita dicam additamentum. Non est enim in rebus vicium sed in ipso animo. illud quod paupertatem nobis gravem fecerat et divicias graves fecit. Quemadmodum nichil differt utrum egrum in ligneo lecto an in aureo colloces. quocumque illum transtuleris, morbum suum secum transferet. sic nichil refert utrum animus eger in diviciis an in paupertate collocetur. ponatur. malum illum suum sequitur.

Licet omnia sint in tuto, age festum diem. Sic [illegible] imparatos fortuna deprehendat